This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Lp 15
102.23

Lp 15.102.23

Harvard College Library

FROM THE

CONSTANTIUS FUND.

Established by Professor E. A. SOPHOCLES of Harvard University for "the purchase of Greek and Latin books, (the ancient classics) or of arabic books, or of books illustrating or explaining such Greek, Latin, or Arabic books." Will, dated 1880.

Received 11 Sept. 1893.

No. 650

43.

D.r ALOYSIUS BUCCIARELLI

UTRUM

AULUS PERSIUS FLACCUS DOCTRINAE STOICAE

SIT SECTATOR IDEM ET INTERPRES

ACCEDUNT AULI PERSII FLACCI

SATIRAE SEX

ROMAE

TYPIS E. MANTEGAZZA

MDCCCLXXXVIII.

~~Sp 15. 242~~
Lp 15. 102.23

HONORATO OCCIONI

GRATO ANIMO

ALOYSIUS BUCCIARELLI

UTRUM

AULUS PERSIUS FLACCUS DOCTRINAE STOICAE SIT SECTATOR IDEM ET INTERPRES

Perlegenti mihi saepenumero Auli Persii Flacci satiras, eiusque quamplurimos expositores et interpretes nocturna diurnaque versanti manu, hoc maximae fuit admirationi quod illos in re gravissima toto coelo discordes dignovissem. Nonnulli enim adfirmant Persium doctrinae stoicae non modo sectatorem, verum, etiam fidelissimum in suis satiris interpretem fuisse; contra expositorum non exiguus numerus iidemque doctissimi declarant nihil prorsus in iis satiris inveniri posse, quod praesertim stoicorum praeceptum dicas. Quae sententiarum dispari-

tas eo maiorem admirationem induxit, quod compertum habueram Persium diligentissimos invenisse suorum scriptorum investigatores et nostris et exactis diebus et eo ipso tempore quod mortem suam proxime est subsecutum. Quorum in numero primas obtinet Cornutus vir doctissimus eiusque praeceptor, quem ille partem animae suae, dulcemque amicum appellat et cui se philosophicis institutis adhuc puerum instituendum tradiderat (Sat. V. v. 22 et seqq). Sed ut vetustissimos praetermittamus et ex paullo recentioribus aliquem attingamus, Casaubonus qui Persium laudibus afficere non desinit, ediditque « *Persianam Horatii imitationem* » poetam nostrum omnino stoicae doctrinae deditum confirmat eamque in satiris explanasse declarat. Et ita porro. Carolus autem Fridericus Hermannus, qui nuper Persium edendum curavit, sic in praefatione scribit. » Nimirum stoicae sectae magister Cornutus fuit, eaque disciplina etiam Persium ita imbuit, ut neque huius satiras sine illius philosophiae notitia intelligere possis, neque stoicae doctrinae sinceriorem interpretem facile invenias;

immo plurimas eius disputationes propius ad scholae praecepta, quam ad ipsius vitae usum accedere haud immerito dixeris. Utque sermonem Persii innumeris in locis ad Horatii imitationem conformatum esse docta Casauboni sollertia comprobavit, ita sententias plerasque iisdem fere verbis apud Epictetum aliosque auctores stoicos redire eiusdem commentarii manifesto arguunt. Quod non in obtrectationem vel invidiam Persio conflandam dictum esto, tamquam aliena magis quam sui ingenii virtute poeticam laudem adeptus sit, cuius ingenuus fervor et vehementia summis quibusque ausibus apta hac ipsa re apparet, quod etiam quae extrinsecus acceperat, ita in succum et sanguinem convertit, ut nisi aliunde edocti, omnia ipsius inventa existimaremus. » Clarissimus autem Doctor Clerici in sua ad Persii prologum disputatione haec explicite adfirmat: »

« Del resto in Persio non v' ha nulla di esclusivamente stoico, che meriti uno studio a parte » Eamdemque sententiam plurimi cum eo complectuntur.

Cuius commentariorum, praesertim in re tam gravi, differentiae potissima mihi

caussa videtur Persii obscurissimus sermo. Nec mirum, cum is suam dicendi rationem ad novum quemdam verborum usum informet eo tempore, quo verba pro sua quisque voluntate conformaret. In universali rerum omnium novitate novus et rhetor esse oportebat, et novus verborum usus e schola ad forensem orationem et ad poesim transcendit. Adde quod Persius stoico usus est dicendi genere, quod Cicero vocat « genus sermonis non liquidum, non fusum ac profluens sed exile, aridum, concisum ac minutum » Meminerimus insuper hoc, de quo nunc sermo est, primum, iuvenile et, fere dicam, ad scholae exercitationem accomodatum esse opus; ita ut in tanta argumentorum quae sibi proposuerat difficultate, tantoque capitis discrimine si in imperatoris incidisset suspicionem, mirum minime sit admodum obscura nobis eius scripta evasisse. Nobis, dico, nam coaequalibus obscura non fuisse manifesto ex eo apparet, quod summas sibi excellentium virorum laudes sunt adepta. Adfirmari quinimo potest Persium dimidio minoris vulgo fieri quam olim doctissimi veterum fecisse vi-

deantur ; quum et commentariis illum suis atque interpretationibus dignum existimarint, et ipsius persaepe versus testimonii loco protulerint, et eum aequales poetae, ut Lucanus cum plausu et admiratione recitantem exceperint. Quintilianus (L. X. Inst. Orat. c. I) « multum, inquit, et verae gloriae quamvis uno libro meruit : » Martialis vero : »

« Saepius in libro memoratur Persius uno.
« Quam levis in tota Marsus Amasonide :

Eiusque ignoti autoris vita « editum librum continuo mirari homines ac diripere coeperunt. »

Quod quidem fieri non potuisset si tunc temporis liber ille maxima qua nunc obscuritate laborasset.

Perperam hac in re Nizardius (Etudes de moeurs et de critique sur les poétes latins de la decadence - tome I. Bruxelles 1834.) qui nonnulla de Persii obscuritate disceptans, hunc propterea obscurum fuisse arbitratur, quod sese stoicis socium addidisset, eiusque sectae praecepta versibus declaranda suscepisset, cumque illa nullo prorsus modo sentiret, nihil aliud nobis nisi obscurissimum stoicorum prae-

ceptorum enchiridion poeticum tradiderit His et alia etiam absurdiora Nizardius addit, quae meum non est refutare, eo magis quod sermone progrediente, ex se ipsis falsa apparebunt.

Hisce positis, iam nunc et meum propositum dicam necesse est. Equidem arbitror Persium nec perpetuum stoicorum interpretem extitisse, sed aliquando et, fere dicam, inconscium in eorum sententias esse dilapsum, nec omnia sua ex stoicae sectae libris vel aliunde desumpsisse, licet Horatianae satirae studium et imitationem eius scripta pluribus locis manifesto arguant. Quod vero stoicis institutis tribui nec immerito debet, hoc non culpae sed laudi potius poetae nostro vertetur, idque praetium operae erit explanare. Quod brevibus quam maxime potest verbis, facere contendimus, sicuti Persii brevitatem, satirarum concisum dicendi genus et philosophicarum disciplinarum severitatem decet. Qua de causa omnia quae ad vitam mores et Persianam dicendi rationem, item quae ad satiram nostram pertinent et alia huiusmodi facile praetermittam.

★

Sex Persius conscripsit satiras, brevemque prologum, quem nec Horatius nec Iuvenalis praetermittendum putarant. Hac autem satirarum divisione non Persius usus fuisse videtur, sed Cornutus praeceptor, qui eas in unum librum iampridem collectas, nonnullis demptis quae Neronem offendere possent, in sex satiras distribuit. Quod idem testatur Martialis, cum dicit « Saepius in libro memoratur Persius uno : » etc, et Quintilianus (L. X. Inst. Orat. c. 1.) « Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit. » Harum satirarum materiam sedulo perpendentes facile dignoscemus unum vel alterum tantum stoicorum effatum Persium pertractasse, caetera vero argumenta vel sua vel non e Stoicis sed aliunde hausisse ; quapropter immerito stoicum poetam fuisse nuncupatum, siquidem eo nomine nonnihil significare volunt, nisi quod poeta noster Zenonis, Chrisippi et aliorum huiusce sectae philosophorum declaraverit praecepta.

Non eadem profecto ratione eum de reliquis quibus incusatur culpis purgare audeo ; in primis autem quod argumenta ad scholae exercitationem accomodata, minimeque prorsus ex vitae et animorum et temporum perditorum cognitione desumpta pertractaverit. Ipse autem in commoda vitae, in purpurearum vestium et unguentorum effraenatum usum insaevit. Oh inexpertum adolescentem ! qui temporum et morum turpitudinem non viderit, delatorum infamiam, senatorum deiectionem, iuvenum licentiam, mulierum in propatulo pudicitiam, universorum flagitia, quae omnia honestum quemque animum et bene sentientem excitare valuissent. Quid ? si Persius nil cognoverit nisi quod vel ex chartis vel ex praeceptoris verbis vel e schola didicerit, quaeque usu foris venirent nullo prorsus modo resciverit ?

Item argumenta Persii cum Iuvenale conferre quis audebit ? Qui aptiorem sibi materiam proposuit hisce verbis : »

« Quidquid agunt homines, votum, timor, ira voluptas,
« Gaudia discursus, nostri est farrago libelli. »

Extant Iuvenalis satirae sedecim, quarum prima aetatis illius poetas perstringit

prouti prima et prologus poetae nostri, exponitque causam cur auctor ad hoc scribendi genus animum appulerit. Altera nequam homines insectatur, qui pallio et barba tenus philosophabantur, teterrima illius aetatis pestis; speciem quamdam virtutis foris assumentes, domi vero flagitiorum omni genere degravati. Tertia urbis Romae incommoda recenset. Quarta ineptias Domitiani describit, senatum convocantis ut patrum conscriptorum sententias sciscitaretur quomodo coquendus esset rhombus insigni magnitudine a piscatore quodam Principi dono datus. Sexta mulierum scelera et flagitia persequitur; septima querelam continet de bonis artibus neglectis et ludibrio habitis. Octava discrimen veram inter ac falsam nobilitatem ostendit; nona pessimas quorumdam libidines abominatur. Decima, cuius argumentum et Persius noster attigit, vota hominum inania et ridicula incessit et quomodo precandum sit docet. Undecima in luxum et doctores conscripta est. Duodecima captatores haecreditatum, qui senibus orbis insidiabantur, acerbe per ora hominum traducit. Tertia-

decima sceleratos omines docet divinam ultionem poenasque peccatis debitas evadere non posse. Decimaquarta quomodo educandi sint liberi praecipit et quantum in hoc genere a parentibus peccetur. Decimaquinta peregrinas religiones irridet. Postrema, commoda militum et privilegia non sine quadam ironia enumerat. Quae Iuvenalis argumenta recensere sat est ut liquido appareat quantum cum Aulo Persio discrimen intercedat.

Sed ut ad propositum nostrum redeamus, si Persius stoicam doctrinam explanandam suscepisset, eiusque nonnihil nisi enchiridion in suis satiris praebuisset, omnes profecto rerum philosophicarum scriptores illum in stoicorum scriptorum numerum retulissent. Contra nemo est qui poetam nostrum meminerit, ne Thomas Stanleius(1) quidem qui plura de stoicae sectae et doctrinis et sectatoribus scripsit. Henricus autem Ritterus (2) Senecam, Musonium, Epictetum et Marcum, Aurelium Antoninum tantum meminit. nec plures Eduardus

(1) Historia Philosophiae auctore Thoma Stanleio Venetiis MDCCXXXI, apud Sebastianum Coleti.

(2) Histoire de la Philosophie Ancienne par le D. Henri Ritter (Paris 1836) —

Zellerius. (3) Nec dici potest eum in stoicorum scriptorum numerum non venisse quod carmina ediderit; nemo enim inter rerum philosopicarum scriptores praetermittendum putavit Lucretium epicurearum doctrinarum in suis versibus interpretem. Et ita porro.

Secundo loco pudicitiam et verecundiam, adolescentiae ornamenta, in satiris Persii animadvertere est: nam si pauca quaedam loca excipias, obscoenum sermonem vitavit quantum potuit. Quod si stoicas doctrinas exponendas curavisset, stoicorum more et exemplo, liberiore prorsus sermone usus esset; quis enim est qui ignoret nullam stoicos in verbis liberioribus turpitudinem inesse putavisse? Quod praeter alios refert Cicero in celebri Epistola ad Papirium Poetum (Epistola XII L. 9) ubi ait: »

« Amo verecundiam tu potius libertatem loquendi. Atque hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto; etsi Academiae nostrae cum eo magna rixa est. Sed, ut dico, placet Stoicis suo quemque rem nomine appellare. Sic enim disserunt. Nihil

(3) Die philosophie der Griechen, von D. Eduard Zeller — Dritte Auflage. Leipzig 1880 —

esse obscoenum, nihil turpe dictu. Nam quod sit in obscoenitate flagitium, id aut in re esse aut in verbo, nihil esse tertium. In re non est. » Et paullo post: » Habes scholam stoicam: *sapiens liberis loquitur verbis.* Quam multa ex uno verbo tuo? Te adversus me omnia audere gratum est. Ego servo et servabo, sic enim assuevi, Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quae apertissimis agunt Stoici. Sed illi etiam crepitus aiunt aeque liberos et ruptus esse oportere. » Qua stoicae dictionis licentia abstinuit omnino Persius, cuius duo tantum loca reprehendere poteris, nempue in satira IV v. 35 et segg.

« Penemque arcanaque lumbi
« Runcantem, populo marcentes pandere vulvas

. . . . . .

« Inguinibus quare detonsus gurgulio extat?
« Quinque palestritae licet haec plantaria vellant,
« Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
« Non tamen ista silix ullo mansuescit aratro.

. . . . . .

« Si facis in penem quidquid tibi venit amarum.

Alterum in Satira VI v. 72

« Cum morosa vago singultiet inguine vena,
« Patritiae immeiat vulvae . . . . . .

Quamquam hac in re optime Montius noster sentire videtur, qui de versibus quos nuper attulimus disserens, cum dixisset: « In tutto Persio ecco l'unico tratto che sembra contravvenire ai precetti del pudore, e che mosse il Bayle a dire che le satire del nostro poeta sono dévergondèes. Questa rigorosa sentenza non è degna di quel gran critico, ed è smentita dal fatto» haec insuper addit: « Il Monnier, rispondendo al Bayle, considera giustamente che Persio prêche partout la vertu, la sagesse et même la piété. S' il a fait un seul tableau trop fidelle du vice, s'il l'a peint avec ses couleurs naturelles, c' est qu' il voulait le montrer dans toute sa difformité, afin d' en inspirer l' horreur qu' il mérite. E qual altro diremo noi essere stato il divisamento de' Santi Padri nel raccontarci e dipingere così graficamente le laide abbominazioni del paganesimo? La verecondia di un costumato lettore correrà certamente minor pericolo co' versi non dirò di Persio, ma di Giovenale e di

Orazio, che con la quinta dissertazione d'Arnobio sulle processioni degli idoli di Priapo: e io sfido il più libertino a leggere, senza infiammarsi di rossore, le orribili e nefande disonestà che alcune società cristiane de' primi tempi mescolavano alle sacre lor cerimonie, secondo la minuta descrizione che ne ha lasciata uno storico del quarto secolo, collocato sopra gli altari, dico S. Epifanio » Qua dicendi libertate vel potius licentia Stoici usi sunt, quos sequi minime Persius noster ausus est.

Videamus nunc, quod caput est, utrum prologi et sex Persii satirarum argumenta Stoicam quamdam doctrinam explanent, ita ut, hac habita ratione, stoicus ipse poeta dici possit.

Prologus quem, ut alio loco diximus, luculentissime Doctor Clerici declaravit, et prima satira, quae eadem obscurissima est, in eius temporis ineptissimos quamplures poetas invehuntur. Ecquis non videt ipsa argumenti expositione nullam in iis non modo Stoicorum, verum etiam caeterorum philosophorum omnium sententiam contineri ? ita ut qui stoicum Per-

sium in satiris esse voluerunt, stoicum tamen ipsum et in prologo et in prima satira non habuerint.

Alterius satirae argumentum preces hominum vacuae et inania vota sunt. Quo facilius autem innotescat unde Persius desumpserit hoc satirae argumentum, praetium operae est paucis exponere quid Stoici caeterique veteres philosophi de precatione senserint.

Itaque Cirenaici et Epicurei, quod divinam providentiam negare, eamque ex animis mortalium funditus evellere instituissent, preces et vota omnia sustulerunt. Nec mirum, si Summum illud quidquid est, res humanas contemnit, si nihil interesse existimat, utrum homines peierent, an iurisiurandi sanctitatem revereantur; si neque ira commovetur, neque gratia tangitur; hoc sequatur necesse est, precationem esse omnem irritam et stultam, quam Dii non audituri vel potius irrisuri sunt. Legitur impium Epicuri decretum apud Lucretium, fidum eius interpretem, libro primo de Rerum Natura:

« Omnis enim per se divnum natura necessest
« Immortali aevo summa cum pace fruatur,
« Semota ab nostris rebus seiunctaque longe;

« Nam privata dolore omni, privata periclis,
« Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
« Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira. »

Præterea hi philosophi precationum adversari salibus etiam et facetiis in re tam gravi utebantur. Aiebant enim: Opes petis? noli diis molestus esse, nihil enim boni petis: Dii vero sunt bonorum datores. Fortunæ autem noli supplicare; neque enim ipsi mos est egentibus subvenire, at potius locupletes novis semper divitiis cumulare; donec subita eos ruina ad paupertatem redigat. Remotis autem precibus, ditescere si velis, en tutxissima via. Vir bonus es? impedimentum ditescendi probitas. Mutandi mores: dolo et fraudibus grassare, mentire, peiera: victoriam petis? Hanc in bello a stipendiario milite, in iudicio impetrabis a sycophanta. Quod si Deum adire volueris, non audiet; quae tu enim bona existimas, ipse mala recenset. Propterea stultorum querelis non commovetur, quamvis misericordiam implores, aris te advolvas et pulverem capiti inspergas; anteacta quoque sacrificia ipsi exprobes atque imputes. Verumtamen non esse deum orandum sententia fuit paucorum philosophorum.

Quod autem ad Stoicos pertinet, notissimum eorum effatum erat: « Nullam rem carius constare, quam quae precibus empta sit » Quod ex eorum iactantia originem scitum repetebat, qui scilicet nil sibi deesse existimabant illorum quae ad virtutem et felicitatem conducunt; quamobrem nihil a deo acceptum referre cupiebant. Esse tamen colendos quodammodo Deos censebant Stoici, qui inter alia sapientis hoc quoque paradoxum enumerabant « *religiosus est sapiens* » iuris enim sacrorum est consultissimus. Et aliud istud etiam absurdius « *solus sapiens est sacerdos* » sacrorum peritissimus, dedicationum item et expiationum et omnium quae Diis conveniunt. Haec omnia si pertractasset Persius, facere non possem quin eum in Stoicorum numerum referrem; sed nihil horum in altera de qua nunc sermo fit, Persii satira invenitur.

Iuvenalis quoque, satira decima, simile huic argumentum assumit. Inscitiam et vecordiam hominum accusat poeta, qui a Diis immortalibus ea petere soliti sint, quae ipsis pestem ac perniciem aliquando afferant; divitias, magistratus, potentiam,

eloquentiam, famam, gloriam, prolixum vitae curriculum ad ultimam usque senectutem, pulchritudinem denique ac speciem corporis, quod mulieres potius quam viros decet. His autem optandis ac poscendis se imprudentes ac verorum bonorum ignaros omnino testantur. Quae omnia exemplis nobilissimis ex Romanorum Graecorumque historia depromptis eloquenter admodum demonstrat. Postremo docet non illa a Diis postulanda, quorum desiderio vulgus insanit, verum ea quae sapientium iudicio legitima et solida sunt bona, potissimum autem ut corpore ac mente valeamus.

Quae cum ita sint, cum nec Persius a Stoicis vel Iuvenale, nec a Persio Iuvenalis, huius satirae materiam hauserint, videtur uterque ex altero Platonis Alcibiade argumenta comparasse; in eo enim dialogo divinus ille philosophus preces quibus hominumogenus Deos orare soleret, tamquam stultas et ab optimo fine procul aberrantes reprehendit, quod Iuvenalis argumentum est: quidquid autem in eo genere ab orantibus peccetur (quod Persii) diligenter notat, atque in ordinem redigit

his verbis (1) » Si igitur deus, quem oraturus accedis, oculis sese tuis objiciens, antequam voveas, ita rogaret, an tibi aliquid ex iis quae in principio dicta sunt, habere satis sit, vel tibi licentiam praestaret quod libeat postulandi, quidnam tibi opportunum fore putares vel acceptare, quae deus offerret, vel petere ipse ? - Al - Per deos, o Socrates, quid respondeam sic statim non habeo : sed insanum quiddam mihi videtur, temere deum precari, ac diligenter considerandum, ne quis, se inscio mala petat, dum bona se putat orare, ac paulo post, ut tu dicebas, ad contraria vota se transferat. So. Nonne prudentior nobis poeta, cuius in principio disputationis mentionem fecimus, mala ab orantibus avertere iussit ? - Al - Mihi videtur. - So - Lacedaemonii quoque, o Alcibiades, sive hunc poetam imitantes, seu, ex se ipsis animadvertentes, idem votum tam privatim quam publice servant, orantes deos, ut pulchra ipsis cum bonis tribuant : plura autem illos precantes nemo audire potest. Non igitur ad haec usque tempora minus quam ceteri homines felices

(1) Hic et alibi graecis verbis latina commutavi, idque pluribus de causis, quae recensere meum non est.

sunt. Si quid autem illis unquam minus prospere successit, non est oratio illorum in causa: penes vero deos est, ut arbitror, quae precamur tribuere et contraria his. Volo insuper aliud quiddam tibi referre, quod aliquando a senioribus quibusdam accepi: dicebant enim semper civitati nostrae accidisse, ut quotiescumque bellum Athenienses cum Lacedaemoniis gererent, nostri tum terra tum mari infortunati essent, nec victores unquam redirent. Qua re indignatos Athenienses, cum non haberent qua arte tantam calamitatem averterent, censuisse mittendum esse Annonem consultum et praeterea haec, quam ob causam dii Lacedaemoniis potius quam Atheniensibus victoriam largirentur, cum ipsi tamen sacrificia tum plura tum decentiora quam reliqui Graecorum offeramus, simulacris donisque templa sic ornantes, ut nulli alii, et pompas quotannis sumptuosissimas et venustissimas, celebremus, et sumptum, qui ad rem divinam spectat, cunctis Graecis magnificentiorem pendamus. Lacedaemoniis autem, dicere, nulla umquam horum cura fuit, adeo circa divinum cultum parcis, ut animalia

mutilata passim mactarent, et in aliis omnibus caeremoniis longe admodum parcioribus quam nos, cum tamen opum magnitudine a nobis non superentur. . .

. . . . . .

Haec dicit Ammo, placere magis, inquit, Lacedaemoniorum sibi faustam apprecationem, quam Graecorum sacra omnia. Nec plura iis respondisse. . . . . .

. . . . . .

reliqui namque Graeci partim auratis cornibus boves sacrificantes, partim donariis egregiis templa ornantes, temere seu bona seu mala a diis petunt: dii igitur cum illos infausta precantes audiunt, ditissimas illorum pompas et sacrificia non acceptant. Quamobrem diligenter considerandum mihi videtur, quid tandem dicendum sit quidve non dicendum . . . . Sed nos nimium deliramus, si nos Lacedaemoniis propter munera acceptiores iis esse dicimus. Etenim grave esset, si deus ad dona et sacrificia nostra respiceret potius, quam ad animum, utrum iustus sanctusque sit . . . . . Deus autem utpote a muneribus incorruptus, spernit haec omnia, ut ipse eiusque propheta dicit. »

Persium vero diligentissime Platonis scripta, potissimum autem eius de altero Alcibiade dialogum investigasse argui licet ex eo quod ille in quarta, quam contra Neronem conscripsit, satira divum philosophum imitatur qui Socratem, cum Alcibiade loquentem inducit.

Cum igitur huic Persii satirae alter Platonis Alcibiades argumentum materiamque praebuerint, nil est quod ad Stoicorum opiniones et effata referas. Quod cum iam ex iis quae supra diximus verum appareat, perlucidius tamen una cum Persiana Platonis imitatione ex ipsius satirae interpretatione elucebit.

Macrine, ait poeta noster, natalis tui dies, quem celebras, albo signandus lapillo, siquidem idem recurrens fluentes vitae annos adiungit; itemque genio merum effundendum, quod iteratis precibus non ea poscas Deos, quae audiente populo petere ab iisdem non audeas. At magna principum pars Deo abditis vocibus incessat; non enim ciusvis est submissas preces silenterque prolatas e templis auferri, votaque sua manifestis agere verbis. Quinimo quilibet alta voce, ut et ad-

venae audire possint, bonam mentem, claram famam, integramque sibi fidem postulant, introrsum vero et sub lingua vel patrui funus, vel ut in agro novando thesaurum inveniant, vel ut sepultura donent pupillum sibi proximum in cuius haereditatem successuri sunt, eo magis quod ita est ille multis obnoxius malis, ut mors eidem quam vita sit optabilior, vel ut sibi moriatur uxor quo tertiae dote locupletetur; quae ut pure sancteque poscant, horis matutinis bis vel ter in tiberino fonte caput mergunt, lavantque corpus et purgant nocturnis somniorum inquinamentis. Hic poeta bile correptus, quaeso, inquit, o qui sic precaris, responde mihi, quid de Iove sentis? nonne praeponendus est cuiquam, non dicam probo, sed etiam Staio? quisnam alter potior iudex est et aptior ad iudicandos oppressos pupillos? Quas igitur Iovi preces fundis, funde Staio nequissimo homini, isque horrescens, proh Iuppiter, o bone Iuppiter, clamet. At Iuppiter sese ipse non clamet? Num putas ignovisse tibi talia, quia cum tonat, sacram quercum potius, quam te impium, domumque tuam fulmine prosternat? Vel

quia iubente Ergenna (quodam inter Etruscos aruspice) non iaces per nemora triste et vitandum bidental, idcircone Iuppiter quasi stolidus barbam tibi praebet vellendam?

Num putas pulmone et lactibus unctis deorum aures emere potuisse? » ecc.

Quae mihi sufficere videntur ad Persianam Platonis imitationem demonstrandam, quod erat in votis, praesertim cum et huius satirae conclusio »

« Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
« Mentis et incoctum generoso pectus honesto,
« Hoc cedo, ut admoveam templis, et farre litabo. »

Cum iis Platonis, quae iam retulimus, verbis recte consonent (1).

★

Quarta satira nihil ad nos, quae tota est in obiurgando Nerone. Sed cum tot teterrimus ille princeps tamque efferatis immanibusque obrueretur vitiis, Persius nil nisi invenilem aetatem in eo repre-

(1) Sed nos nimium deliramus . . . . . utrum iustus sanctusque sit.

hendendam putavit, qua iustum ab iniusto secernere, populumque furentem continere nequiret. Lucanus quidem, poeta ingeniosissimus, Neronems, hominum iniquissimum I. Pharsaliae libro inducit, dissimili tamen ratione: sic enim illum laudibus effert, ut interea ironice traducat, odiumque lectoris in ipsum concitet. Nimirum iis temporibus hae unae reliquiae supererant veteris libertatis; ea tamen conditione, ut si deprehensi scriptores fuissent, capite poenas darent. Quod et Lucano tandem contigit. Ne noster quidem poeta aperte locutus est, sed ipse Socratis, Nero autem Alcibiadis personam induunt, qua re, ut insuper notavimus, Persianum Platonis studium comprobatur. Communissimum, deinde, Nerone relicto, in altera satirae eiusdem parte, alienorum vitiorum notandorum morem redarguit. In qua quis est qui dixerit Persium aliquam stoicorum doctrinam sibi explanandam proposuisse? Quis enim est quin videat Aesopianae illius duarum perarum notissimae fabulae imitationem amplificationemque? Eo nihilo secius Hermannus Benderus hanc quam pertacta-

mus satiram in stoicas recenset, quod de « sui ipsius conscientia » agit (1). Equidem si Stoici dicendi forent omnes qui eam protulerint sententiam, iam mehercule non modo Socrates, qui celeberrimum illud « nosce teipsum » pronunciaverit, sed universum prope hominum genus iure stoicus et esset et haberetur. Eam autem vel Academicorum vel Epicureorum vel Stoicorum vel cuiuslibet sectae sententiam esse dicimus, quam non universae plane, sed una vel altera tantum complexae fuerint, idque rationi maxime consentaneum videtur.

★

Quae ad Caesium Bassum poetam in avaros sexta eademque postrema satira est conscripta, non modo minime stoica sed in stoicos exarata videtur, et Persius nescio quo modo, epicureorum beatam vitam complectitur. Nizardius ipse, licet

(1) Compendio della Storia della Letteratura Latina del Dott. Ermanno Bender, tradotta da Francesco Schupfer p. 107 (1883).

aegro animo, epicureum se Persium praebuisse hac in satira fateri coactus est. Tam longe abest ab ea Stoicorum severitate, qua nihil bonum, nihil pulchrum, nihil denique honestum, nisi virtutem esse censent, qua reliquia omnia aut prorsus mala, aut indifferentia nuncupantur, qua divitias et voluptatem nullo loco numerant. Proximum ad se haeredem advocat Persius avarissimum hominem, eique perbelle minatur inducturum se centum paria Genio Ducis, oleumque et artocreas largiturum populo. Quod si renuat haeres, ipse alium quemlibet ex testamento haeredem instituet. Sed ipsum Persium in avaros irruentem, sibique indulgentem audiamus.

. . . . . At tu meus haeres
« Quisquis eris paulum a turba seductior audi,
« O bone num ignoras? missa est a Cesare laurus
« Insignem ob cladem germanae pubis, et aris »

(Quod ironice dictum intelligas de Germanica una Caligulae expeditione, in qua nihil laude dignum ab eo gestum est. Vide Svet. in Caligula, c. 45 et seq. ubi Imperatoris stolida ambitio, fictaeque victoriae referuntur.)

« Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma
« Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa victis,
« Essedaque, ingentesque locat Caesonia rhenos.
« Dis igitur, genioque ducis centum paria, ob res
« Egregie gestas, induco, qui vetat? aude.
« Vae, nisi connives, oleum, artocreasque popello
« Largior, an prohibes? dic clare non audeo, inquis.
« Exossatus ager iuxta est age si mihi nulla
« Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
« Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit.
« Deque avia nihilum superest, accedo Bovillas,
« Clivumque ad Virbi, praesto est mihi Manius haeres
« Progenies terrae, quaere ex me, quis mihi quartus
« Sit pater, haud prompte, dicam tamen. Adde etiam unum,
« Unum etiam, terrae est iam filius, et mihi ritu
« Manius hic generis prope maior avunculus exit.
« Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
« Sum tibi Mercurius, venio deus huc ego, ut ille
« Pingitur, an renuis? vin tu gaudere relictis?
« Deest aliquid summae, minui mihi, sed tibi totumst,
« Quidquid id est, ubi sit fuge quaerere, quod mihi quondam
« Legarat Stadius, neu dicta repone paterna,
« Foenoris accedat merces, hinc eximes, sumptus.
« Quid reliquum est? reliquum nunc nunc impensius unge
« Unge puer caules, mihi festa luce coquatur
« Urtica et fixa fumosum sinciput aure,
« Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
« Cum morosa vago singultiet inguine vena,
« Patritiae immeiat vulvae? mihi trama figurae
« Sit reliqua? ast illi tremat omento popa venter?

Tertiam et quintam satiram hic praetermittendas putavimus, quarum tractationem infra suscipiemus. Nunc dicendum existimo primam quintae satirae partem, ad octoginta versus, quae dulcissimi prae-

ceptoris memoriam continet, Persiique animi suavitatem testantur, nihil ad Stoicos referri posse, sicuti lector per se ipse degnoscet, quin plura disputem.

Tertiam iam satiram et alteram quintae partem aggrediamur, in quibus Persium nullo modo excusabo, quod Stoicos philosophos sit secutus, eorumque severitatem, qua homini humanitatem quodammodo eripere conarentur sibi proposuerit.

Quaerit philosophus, in tertia satira ab adolescente discipulo num divitiarum abundantia satis ad beatam vitam sit. Cum enim tria sint bonorum genera, animi ut virtutes et sapientia, corporis ut membrorum integritas, sanitas, robur, agilitas et externa ut divitiae, potentia; inter quae animi bona sint praestantiora cum iam recensita sint externa et fortunae, nominata quidem bona a Peripateticis quod ad bona animi acquirenda vel exercenda sint apta, a Stoicis vero nullatenus bona dicantur, merito quaerit poeta noster, num adeo desipiat discipulus, quem audientem inducit, ut ea satis ad beatam vitam efficiendam ducat. Beatitudo tamen nedum apud Stoicos et Academicos, ve-

rum etiam apud Epicurum ponitur in operatione omnium perfectissima, seu in adeptione summi bòni undequaque animum explentis, quod divitiae praestare nequeunt, ut nec ullum aliud externorum bonorum. Ad philosophiam nempe suos Persius iuvenes reiicit, quae magistra vitae, morum institutrix et ad vitam beatam tuta via ac certa est.

Sicuti vero praestantes medici, ut eo libentius salubribus suis consiliis obtemperantes aegrotos habeant, simul et medicamenta praescribunt et illorum efficientiam exponunt, ut hi sciant quid inde sibi sperandum, sic et Persius noster ita iuvenes ad philosophiam reiicit, ut simul quid ex eius cognitione sit perceptura commonstret, estque hic locus luculentus plane et illustris. Verum cum plurima hic de philosophia verba faciat ut totum animum iuvenes, totasque vires et omnem curam atque operam ad hanc disciplinam conferant, nullam tamen eius partem aut effatum aliquod ullius sectae pertractat.

Quod non inficior eum fecisse in altera quintae satirae parte, de cuius

initio iam ante diximus, qua ad celeberrimum illud idemque absurdissimum Stoicorum paradoxon comprobandum accedit « *Solus sapiens liber est.* »

« Libertate opus est; non hac, qua, ut quisque Velina
« Publius emeruit, scabiosum tesserula far
« Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
« Vertigo facit! Hic Dama est non tressis agaso,
« Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax.
« Verterit hunc dominus, momento turbinis exit,
« Marcus Dama . . . . . .

Mirumum tamen est, quum haec Stoicorum sententia tam arida sit, iis leporibus iisque poeticis veneribus eam exornasse, ut illustris ille inter Gallos Boileau hunc poetae nostri locum dignum habuerit, quem imitaretur, immo fere e latino in gallicum sermonem verteret. Quem referre placet.

« Le sommeil sur ses yeux commence à s'épancher
« Debout, dit l'Avarice, il est temps de marcher
« Eh! laissez-moi. - Debout! - un moment. - Tu répliques!
« A peine le soleil fait ouvrir les boutiques
« N'importe, léve-toi. - Pourquoi faire, aprés tout?
« Pour courir l'océan de l'un á l'autre bout,
« Chercher jusqu'au Japon la porcelaine et l'ambre
« Rapporter de Goa le poivre et je gingembre.
« — Mais j'ai des biens en foule et je m'en puis passer
« — On n'en peut trop avoir, et pour en amasser,
« Il ne faut épargner ni crime ni parjure;
« Il faut souffrir la faim et coucher sur la dure;

« Eût-on plus de trésors que n'en perdit Galet,
« N'avoir en sa maison ni meubles ni valet;
« Parmi les tas de blé vivre de seigle et d'orge;
« De peur de perdre un liard, souffrir qu'on vous égorge,
« — Et pourquoi cette épargne, enfin? L'ignores tu?
« Afin qu'un héritier, bien nourri, bien vêtu,
« Profitant d'un trésor en tes mains inutile,
« De son train quelque jour embarrasse la ville.
« Que faire? - Il faut partir, les matelots sont prêts »
« On si, pour l'entraîner, l'argent manque d'attraits,
« Bientôt l'Ambition et tout son escorte
« Dans le sein du repos vient le prendre á mains-forte,
« L'envoie en furieux au milieu des hasards,
« Se faire estropier sur les pas des Césars;
« Et, cherchant sur la bréche une mort indiscréte,
« De sa folle valeur embellir la gazette. »

Ne plura disputem, si in prologo Persii, itemque in prima, altera, quarta sexta et prima quintae satirae parte mihil est quod ad Stoicos referri possit, quomodo quis Persium Stoicorum interpretem fidelissimum appellabit? Quapropter Stoicus ipse et appelletur et sit, dummodo eo nomine significetur Stoicorum eum sectatorem, minime vero interpretem extitisse, proinde ex praesenti disputatione facile constat.

✱

Iam quae pauca Persius e Stoicorum doctrinis hauserit atque in sua carmina retulerit, uberrime ostendisse videmur. Sed si verum est eum tam exiguam satirarum suarum partem e Stoicorum doctrinis desumpsisse, qua habita ratione, perperam a nonnullis stoicorum poetam fuisse nuncupatum; verum tamen est multa ipsum Stoicorum consuetudini stoicaeque vitae institutis debuisse. Si enim in tanta rerum omnium corruptione, tantaque morum pravitate, maxima in eo adhuc adolescentulo virtutis et probatio et exercitatio fuit, eaque motus est offensione turpitudinis, harum rerum omnium Stoici fructum ab illo repetere prope suo iure debent. In corrigendis vero vitiis qui proprius satiris finis est et moribus expoliendis expurgandisque stoica Persius ratione usus est.

Huius enim purgationis morum sive expiationis, tres numerant species antiqui, Pythagoream, Socraticam et Stoicam.

Pythagorea mitior ac lenior, nonnihil indulgere vitiis videbatur: non enim vitia statim tollebat, sed paullatim infirmabat, voluptati quidem non bellum indicit vel usum eius omnino proibet, sed potius eam moderatur et moderando iucundiorem efficit; voluptates enim, quod et Iuvenalis pronunciavit, comendat rarior usus.

Purgationism odus alter ille est quem tribuunt Socrati, quemque vocare possumus *a similibus ad similia*. Huiusmodi purgatio, lenitatis plurimum atque urbanitatis in se continet. Vitiis enim tollendis, quod vitio affine ac simillimum est interdum commendabat. Socrates, ut exemplo utamur, ut noxium amorem ac turpem ex adolescentium animis evelleret, se quoque diligere profitebatur. Hoc vero minus animadverterunt docti quidam viri; propterea infandum - puerorum diligendorum - crimen homini optimo imposuerunt. In Convivio Xenophontis, parens ille philosophiae lenonem se ipse appellat. Eodem pacto, si quem voluptati nimium deditum dignovisset, continuo veram voluptatem indicabat: si quem ad rem plus aequo attentum, veras solidasque divitias

miris laudibus efferebat, ut ex Platonis dialogis manifestum. Suavissima profecto corrigendi ratio haec est; quae sciliscet invitos non trahit, sed volentes atque illectos ducit; non extirpat vitia cum vitiosorum dolore, sed eluit nonnulla quadam cum iucunditate.

Tertiam purgandorum morum viam Stoici sunt secuti, toto coelo socraticae oppositam. Hi enim ut maxima ex hominum animis eradicent vitia, ne minima quidem inesse patiuntur. Neque in iis radicitus extirpandis lenitate quadam utuntur, verum medicorum imitatores, qui nullis aegrotantium nec clamoribus nec lacrimis flectuntur, immiti animo, manibusque cruentis viscera aeque ac praecordia aperiunt, secant, lacerant, adurunt. Ita fit ut Persius ne unum quidem diem donandum otio putet, nec in crastinum veri cognitionem differendam rectique exercitationem (Sat. V. v. 66).

« Cras hoc fiet, idem cras fiet, quid? quasi magnum
« Nempe diem donas, sed cum lux altera venit,
« Iam cras externum consumpsimus, ecce aliud eras.
« Egerit hos annos, et semper paulum erit ultra.

Ita fit ut ipsum haeredem avarum,

ni consilium, vivendique rationem mutet, exheredaturum minetur, quod partim praestitit. Nam Cornuto praeceptori non mediocrem nummorum copiam legavit, nimirum sextertia centum, aut, sicut alii volunt, argenti facti pondo viginti, suamque insuper bibliothecam in qua numerant aliqui libros Chrisippi septingentos. At Cornutus hos quidem accepit, pecuniam autem reliquit Persii sororibus.

Argumenti quidem tractandi rationem Persius noster e Stoicis philosophis didicit; quam enim sibi enumerandam et comprobandam initio materiam proposuit, eam urgere ac ornare numquam desinit, donec tractationem absolvat; vix a proposito digreditur, abit certe numquam. Verum ordo poeticus non ea qua philosophorum lege incedit; excurrit saepius poeta, quasi propositi immemor, praesertim satiricus; nova quaedam inducit, obiter attingit nonnulla, digreditur: sed quum aberrare maxime videtur, tunc poematis legem servat maxime, quae lex vulgo non intelligitur.

In dictandis etiam versibus stoicae virilitatis numquam obliviscitur, sonori enim sunt ac fluentes eius hexametri,

quantum suscepti operis lex et ratio patiuntur. Gravitatis insuper et magnificentiae studiosus fuit, quam scilicet hauserat ex disciplina et consuetudine Stoicorum simulque in loquendo brevitatem, nimiam interdum. Stoici enim rerum copiam, verborum autem parsimoniam laudabant.

★

Cum itaque quae de Persio dicenda proposuerim absoluta videantur, finem huius disputationis facio, idemque, candide Lector, veniam imploro, quod plura, quae dicenda fuissent praetermiserim, quaeque praetermittenda dixerim, plura etiam minus belle protulerim, eamque mihi veniam libentius fortasse dabis, cum tecum ipse reputes difficile me prorsus et arduum opus pertractandum suscepisse.

AULI PERSII FLACCI

SATIRAE SEX

IN QUIBUS

CAROLI FRIDERICI HERMANNI

RECENSIONEM SECUTI SUMUS

A. PERSII FLACCI
SATIRARUM
LIBER

PROLOGUS

Nec fonte labra prolui caballino,
Nec in bicipiti somniasse Parnasso
Memini, ut repente sic poeta prodirem.
Heliconiadasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederae sequaces: ipse semipaganus
Ad sacra vatum carmen affero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum *chaire*
Picamque docuit verba nostra conari?
Magister artis ingenique largitor
Venter, negatas artifex sequi voces;
Quod si dolosi spes refulgeat nummi,
Corvos poetas et poetridas picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

SATIRA I.

O curas hominum! o quantum est in rebus inane!
Quis leget haec? — Min' tu istud ais? nemo hercule! —
Nemo? —
Vel duo, vel nemo. — Turpe et miserabile! — Quare?
Ne mihi Polydamas et Troiades Labeonem
Praetulerint? nugae! non, si quid turbida Roma
Elevet, accedas, examenve improbum in illa

Castiges trutina, nec te quaesiveris extra.
Nam Romae quis non —? ah si fas dicere! sed fas;
Tunc, quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Aspexi ac nucibus facimus quaecumque relictis'
Quum sapimus patruos; tunc tunc — ignoscite, nolo;
Quid faciam? sed sum petulanti splene — cachinno.
  Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animae praelargus anhelet;
Scilicet haec populo perusque togaque recenti
Et natalicia tandem cum Sardonyche albus
Sede legens celsa, liquido quum plasmate guttur
Mobile collueris, patranti fractus ocello,
Hic neque more probo videas nec voce serena
Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.
Tun', vetule, auriculis alienis colligis escas?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus *ohe!* —
Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quae semel intus
Innata est, rupto iecore, exierit caprificus? —
En pallor seniumque! O mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter? —
At pulchrum est digito monstrari et dicier *hic est!*
Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas? — Ecce inter pocula quaerunt
Romulidae saturi, quid dia poemata narrent.
Hic aliquis, cui circa humeros hyacinthina laena est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,
Eliquat, ac tenero supplantat verba palato.
Assensere viri; nunc non cinis ille poetae
Felix? non levior cippus nunc imprimit ossa?
Laudant convivae; nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violae? — Rides, ait, et nimis uncis
Naribus indulges; an erit qui velle recuset
Os populi meruisse, et cedro digna locutus
Linquere nec scombros metuentia carmina nec tus? —
  Quisquis es, o, modo quem ex adverso dicere feci,

Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit —
Quando haec rara avis est — si quid tamen aptius exit
Laudari metuam, neque enim mihi cornea fibra est;
Sed recti finemque extremumque esse recuso
Euge tuum et belle. Nam belle hoc excute totum:
Quid non intus habet? non hic est Ilias Atti
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non quidquid denique lectis
Scribitur in citreis? Calidum scis ponere sumen,
Scis comitem horridulum trita donare lacerna,
Et: *verum,* inquis, *amo: verum mihi dicite de me.*
Qui pote? vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus protenso sesquipede exstet.
O Iane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitari mobilis albas,
Nec linguae, quantum sitiat canis Appula, tantae!
Vos, o patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti caeco, posticae occurrite sannae!
Quis populi sermo est? quis enim, nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat iunctura ungues? Scit tendere versum
Non secus ac si oculo rubricam dirigat uno;
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetae.
Ecce modo heroas sensus afferre videmus
Nugari solitos graece, nec ponere lucum
Artifices nec rus saturum laudare, ubi corbes
Et focus et porci et fumosa Palilia foeno,
Unde Remus sulcoque terens dentalia, Quinti,
Quem trepida ante boves dictaturam induit uxor
Et tua aratra domum lictor tulit — euge poeta!
Est nunc Brisaei quem venosus liber Acci,
Sunt quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, aerumnis cor luctificabile fulta?
Hos pueris monitus patres infundere lippos
Quum videas, quaerisne, unde haec sartago loquendi
Venerit in linguas, unde istuc dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?

Nilne pudet capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire *decenter?*
Fur es, ait Pedio; Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis, doctas posuisse figuras
Laudatur: *bellum hoc*! Hoc bellum? an, Romule, ceves?
Men' moveat quippe et, cantet si naufragus, assem
Protulerim? cantas, quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes? verum nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querella. —
Sed numeris decor est et iunctura addita crudis.
Claudere sic versum didicit: *Berecyntius Attis;*
Et: *qui caeruleum dirimebat Nerea delphin;*
Sic: *costam longo subduximus Appennino.*
Arma virum, nonne hoc spumosum et cortice pingui,
Ut ramale vetus praegrandi subere coctum? —
Quidnam igitur tenerum et laxa cervice legendum?
Torva mimalloneis implerunt cornua bombis,
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris et lyncem Maenas flexura corymbis
Euhion ingeminat; reparabilis adsonat echo?
Haec fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, et in udo est Maenas et Attis,
Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues. —
Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne maiorum tibi forte
Limina frigescant; sonat hic de nare canina
Littera. — Per me equidem sint omnia protinus alba;
Nil moror. Euge! omnes, omnes bene mirae eritis res.
Hoc iuvat? Hic, inquis, veto quisquam faxit oletum?
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus, extra
Meiite! discedo. Secuit Lucilius urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis;
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit et admissus circum praecordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso:
Men' muttire nefas? nec clam, nec cum scrobe, nusquam?
Hic tamen infodiam: vidi, vidi ipse, libelle:

Auriculas asini quis non habet? hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque afflate Cratino
Iratum Eupolidem praegrandi cum sene palles,
Aspice et haec, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure:
Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui possit dicere *lusce*,
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Arreti aedilis iniquas;
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Calliroen do.

SATIRA II.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes apponit candidus annos;
Funde merum genio. Non tu prece poscis emaci,
Quae nisi seductis nequeas committere divis;
At bona pars procerum tacita libabit acerra.
Haud cuivis promptum est murmurque humilesque susurros
Tollere de templis et aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, haec clare et ut audiat hospes;
Illa sibi introrsum et sub lingua murmurat: O si
Ebulliat patruus, praeclarum funus! et: O si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
Impello, expungam! namque est scabiosus, et acri
Bile tumet. Nerio iam tertia conditur uxor! —
Haec sancte ut poscas. Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque et noctem flumine purgas?
Heus age, responde — minimum est quod scire laboro —
De Iove quid sentis? estne ut praeponere cures
Hunc — cuinam? cuinam? vis Staio? an scilicet haeres?

Quis potior iudex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Iovis aurem impellere temptas,
Dic agedum Staio: *pro Iuppiter! o bone,* clamet,
Iuppiter! at sese non clamet Iuppiter ipse?
Ignovisse putas, quia, quum tonat, ocius ilex
Sulfure discutitur sacro quam tuque domusque?
An quia non fibris ovium Ergennaque iubente
Triste iaces lucis evitandumque bidental,
Idcirco stolidam praebet tibi vellere barbam
Iuppiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis?
  Ecce avia aut metuens divum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita;
Tunc manibus quatit et spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in aedes:
Hunc optet generum rex et regina; puellae
Hunc rapiant; quidquid calcaverit hic, rosa fiat!
Ast ego nutrici non mando vota; negato,
Iuppiter, haec illi quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis corpusque fidele senectae:
Esto age; sed grandes patinae tuccetaque crassa
Adnuere his superos vetuere Iovemque morantur.
Rem struere exoptas caeso bove, Mercuriumque
Accersis fibra: *da fortunare Penates,*
Da pecus et gregibus fetum! quo, pessime pacto,
Tot tibi quum in flammas iunicum omenta liquescant?
At tamen hic extis et opimo vincere ferto
Intendit: *iam crescit ager, iam crescit ovile,*
Iam dabitur iam, iam! donec deceptus et exspes
Nequiquam: *fundo,* suspiret, *nummus in imo!*
  Si tibi creterras argenti incusaque pingui
Auro dona feram, sudes et pectore laevo
Excutias guttas, laetari praetrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato
Perducis facies; nam fratres inter aenos
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,

Praecipui sunto sitque illis aurea barba.
Aurum vasa Numae Saturniaque impulit aera,
Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.
O curvae in terris animae et coelestium inanes!
Quid iuvat, hos templis nostros immittere mores,
Et bona dis ex hac scelerata ducere pulpa?
Haec sibi corrupto casiam dissolvit olivo,
Haec Calabrum coxit vitiato murice vellus,
Haec baccam conchae rasisse et stringere venas
Ferventis massae crudo de pulvere iussit.
Peccat et haec, peccat: vitio tamen utitur; at vos
Dicite, pontifices, in sancto quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatae a virgine pupae.
Quin damus id superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messallae lippa propago:
Compositum ius fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
Haec cedo ut admoveam templis et farre litabo.

SATIRA III.

Nempe haec assidue? iam clarum mane fenestras
Intrat et angustas extendit lumine rimas;
Stertimus indomitum quod despumare Falernum
Sufficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? — *Siccas insana canicula messes*
Iam dudum coquit et patula pecus omne sub ulmo est,
Unus ait comitum. — Verumne? itane? ocius adsit
Huc aliquis! nemon'? — Turgescit vitrea bilis:
Findor — ut Arcadiae pecuaria rudere dicas.
Iam liber et positis bicolor membrana capillis
Inque manus chartae nodosaque venit arundo.
Tunc querimur, crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas querimur geminet quod fistula guttas.
O miser inque dies ultra miser, hucine rerum

Venimus? at cur non potius teneroque columbo
Et similis regum pueris pappare minutum
Poscis et iratus mammae lallare recusas? —
An tali studeam calamo? — Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur; effluis amens;
Contemnere! Sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus et acri
Fingendus sine fine rota. Sed rure paterno
Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum —
Quid metuas? cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis,
Censoremve tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras! ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattae?
Sed stupet hic vitio, libris increvit opimum
Pingue, caret culpa, nescit quid perdat, et alto
Demersus summa rursum non bullit in unda.
Magne pater divum, saevos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, quum dira libido
Moverit ingenium ferventi tincta veneno:
Virtutem videant intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt aera iuvenci,
Et magis auratis pendes laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, *imus*,
Imus praecipites, quam si sibi dicat et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Saepe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis
Dicere et insano multum laudanda magistro,
Quae pater adductis sudans audiret amicis.
Iure; etenim id summum, quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto; damnosa canicula quantum
Raderet; angustae collo non fallier orcae;
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,
Quaeque docet sapiens braccatis illita Medis

Porticus, insomnis quibus et detonsa iuventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta;
Et tibi quae Samios deduxit littera ramos
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc, laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis!
Est aliquid quo tendis, et in quo dirigis arcum?
An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frusta, quum iam cutis aegra tumebit,
Poscentes videas: venienti occurite morbo!
Et quid opus Cratero magnos promittere montes?
Discite, o miseri, et causas cognoscite rerum:
Quid sumus; et quidnam victuri gignimur; ordo
Quis datus, aut metae quam mollis flexus et unde;
Quis modus argento, quid fas optare, quid asper
Utile nummus habet; patriae carisque propinquis
Quantum elargiri deceat; quem te deus esse
Iussit, et humana qua parte locatus es in re;
Disce, nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper et pernae, Marsi monumenta clientis,
Menaque quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat: Quod satis est sapio mihi; non ego curo
Esse quod Arcesilas aerumnosique Solones,
Obstipo capite et figentes lumine terram,
Murmura quum secum et rabiosa silentia rodunt
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes somnia, *gigni*
De nihilo nihilum, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est? -
His populus ridet, multumque torosa iuventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos. —
Inspice; nescio quid trepidat mihi pectus et aegris
Faucibus exsuperat gravis halitus; inspice, sodes!
Qui dicit medico, iussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,

De maiore domo, modice sitiente lagena,
Lenia loturo sibi Surrentina rogabit. —
Heus, bone, tu palles! — Nihil est. — Videas tamen istud,
Quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis. —
At tu deterius palles; ne sis mihi tutor;
Iam pridem hunc sepeli: tu restas. — Perge, tacebo. —
Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mefites;
Sed tremor inter vina subit, calidumque trientem
Excutit e manibus, dentes crepuere retecti,
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelae, tandemque beatulus alto
Compositus lecto crassisque lutatus amomis
In portam rigidas calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
Tange, miser, venas et pone in pectore dextram. —
Nil calet hic. — Summosque pedes attinge manusque. —
Non frigent. — Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? positum est algente catino
Durum olus, et populi cribro decussa farina:
Temptemus fauces! tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, quum excussit membris timor albus aristas;
Nunc face supposita fervescit sanguis et ira
Scintillant oculi, dicisque facisque, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus iuret Orestes.

SATIRA IV.

Rem populi tractas? — barbatum haec credo magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutae —
Quo fretus? dic o magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit, dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,

Fert animus calidae fecissə silentia turbae
Maiestate manus. Quid deinde loquere? *Quirites,*
Hoc, puta, *non iustum est, illud male, rectius illud.*
Scis etənim iustum gemina suspendere lance
Ancipitis librae; rectum discernis, ubi intər
Curva subit, vel quum fallit pede regula varo,
Et potis es nigrum vitio praefigere theta?
Quin tu igitur, summa nequiquam pelle decorus,
Antə diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas!
Quae tibi summa boni est? uncta vixissə patəlla
Semper et assidŭo curata cuticula sole?
Exspecta, haud aliud respondeat haec anus. I nunc:
Dinomaches ego sum, suffla, *sum candidus* — esto;
Dum ne deterius sapiat pannucia Baucis,
Quum bene discincto cantaverit ocima vernae.
Ut nemo in sese təmptat descendere, nemo,
Sed praecedenti spectatur mantica tergo!
Quaesieris: Nostin' Vettidi praedia? — Cuius?
Dives arat Curibus quantum non milvus oberrat. —
Hunc ais, hunc dis iratis genioque sinistro,
Qui, quandoque iugum pertusa ad compita figit,
Seriolae veterem metuens deradere limum
Ingemit: *hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens
Caepe, et farratam pueris plaudentibus ollam
Pannosam faecem morientis sorbet aceti? —
At si unctus cesses et figas in cutə solem,
Est prope tə ignotus, cubito qui tangat et acre
Despuat: *hi mores, penemque arcanaque lumbi*
Runcantem populo marcentes pandere vulvas!
Tu quum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant,
Elixasque nates labefactent forcipe aduncа,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
Caedimus, inque vicem praebemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto; sic novimus. Ilia subter
Caecum vulnus habes; sed lato balteus auro

Praetegit. Ut mavis, da verba et decipe nervos,
Si potes. — Egregium quum me vicinia dicat,
Non credam? — Viso si palles, improbe, nummo,
Si facis in penem quidquid tibi venit amarum,
Si putsal multa cautus vibice flagellas:
Nequiquam populo bibulas donaveris aures.
Respue, quod non es: tollat sua munera cerdo;
Tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex.

SATIRA V.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora et linguas optare in carmina centum,
Fabula seu moesto ponatur hianda tragoedo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum. —
Quorsum haec? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande lucuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestae
Fervebit, saepe insulso coenanda Glyconi;
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos, nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte,
Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togae sequeris iunctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus et ingenuo culpam defigere ludo.
Hinc trahe quae dicas, mensasque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris. —
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur: tibi nunc, hortante Camena,
Excutienda damus praecordia, quantaque nostrae
Pars tua sit, Cornute, animae, tibi, dulcis amice,
Ostendisse iuvat: pulsa, dinoscere cautus,
Quid solidum crepet et pictae tectoria linguae.

His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Quum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque succinctis Laribus donata pependit;
Quum blandi comites totaque impune Subura
Permisit sparsisse oculos iam candidus umbo:
Quumque iter ambiguum est et vitae nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes,
Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu; tum fallere sollers
Apposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.
Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes:
Unum opus et requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum foedere certo
Consentire dies et ab uno sidere duci:
Nostra vel aequali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,
Saturnumque gravem nostro Iove frangimus una:
Nescio quod, certe est quod me tibi temperat astrum.
Mille hominum species et rerum discolor usus;
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini,
Hic satur irriguo mavult turgescere somno
Hic campo indulget; hunc alea decoquit; ille
In Venerem putris; sed quum lapidosa cheragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tunc crassos transisse dies lucemque palustrem
Et sibi iam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis iuvat impallescere chartis;
Cultor enim iuvenum purgatas inseris aures

Fruge Cleanthea: petitə hinc puerique senesque
Finem animo certum miserisque viatica canis! —
Cras hoc fiet idem. — Cras fiet? — Quid? quasi magnum
Nempe diem donas! — Sed quum lux altəra venit,
Iam cras hesternum consumpsimus: ecce aliud cras
Egerit hos annos et semper paulum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentəm sese frustra sectabere canthum,
Quum rota posterior curras et in axe secundo.
Liberatte opus est, non hac, ut, quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet. Heu steriles veri, quibus una Quiritem
Vertigo facit! hic Dama est non tressis agaso,
Vappa lippus et in tenui farragine mendax:
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama: papae: Marco spondente recusas
Credere tu nummos? Marco sub iudice palles?
Marcus dixit: ita est; adsigna, Marce, tabellas.
Haec mera libertas! hoc nobis pilea donant! —
An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam
Cui licet, ut voluit? licet ut volo vivere: non sum
Liberior Bruto? — Mendose colligis, inquit
Stoicus hic aurem mordaci lotus aceto:
Haec reliqua accipio; *licet* illud et *ut volo* tolle. —
Vindicta postquam meus a praetore recessi,
Cur mihi non liceat, iussit quodcumque voluntas,
Excepto si quid Masuri rubrica vetavit? —
  Disce, sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non praetoris erat stultis dare tenuia rerum
Officia atque usum rapidae permittəre vitae:
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio et secretam garrit in aurem,
Ne liceat facere id quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut təneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto
Nescius examen: vetat hoc natura medendi:

Navem si poscat sibi peronatus arator,
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit, et veri speciem dinoscere calles,
Ne qua subaerato mendosum tinniat auro?
Quaeque sequenda forent, quaeque evitanda vicissim,
Illa prius creta, mox haec carbone notasti?
Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?
Iam nunc astringas, iam nunc granaria laxes?
Inque luto fixum possis transcendere nummum,
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
Haec mea sunt, teneo, quum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, praetoribus ac Iove dextro.
Sin tu, quum fueris nostrae paulo ante farinae,
Pelliculam veterem retines et fronte politus
Astutam vapido servas sub pectore vulpem,
Quae dederam supra, relego, funemque reduco:
Nil tibi concessit ratio; digitum exserè, peccas,
Et quid tam parvum est? sed nullo ture litabis,
Haereat in stultis brevis ut semuncia recti.
Haec miscere nefas; nec, quum sis cetera fossor,
Tres tantum ad numeros satyrum moveare Bathylli. —
Liber ego. — Unde datum hoc sentis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer et strigiles Crispini ad balnea defer,
Si increpuit, cessas nugator; servitium acre
Te nihil impellit, nec quidquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet; sed si intus et in iecore aegro
Nascuntur domini, qui tu impunitior exis
Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?
Mane piger stertis. — Surge, inquit Avaritia, heia
Surge! — Negas; instat: Surge, inquit. — Non queo. —
Surge. —
Et quid agam? — Rogitas? en saperdam advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, ebenum, tus, lubrica Coa;
Tolle recens primus piper ex sitiente camelo;
Verte aliquid; iura. — Sed Iuppiter audiet. — Eheu!
Baro, regustatum digito terebrare salinum

Contentus perages, si vivere cum Iove tendis ! —
Iam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas ;
Ocius ad navem ! nihil obstat, quin trabe vasta
Aegaeum rapias, nisi sollers Luxuria ante
Seductum moneat : Quo deinde, insane, ruis ? quo ?
Quid tibi vis ? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutae ?
Tun' mare transilias ? tibi torta cannabe fulto
Coena sit in transtro, Veientanumque rubellum
Exhalet vapida laesum pice sessilis obba ?
Quid petis ? ut nummos, quos hic quincunce modesto
Nutrieras, peragant avido sudore deunces ?
Indulge genio, carpamus dulcia ! nostrum est
Quod vivis ; cinis et manes et fabula fies.
Vive memor leti ! fugit hora ; hoc quod loquor inde est. —
En quid agis ? duplici in diversum scinderis hamo.
Hunccine, an hunc sequeris ? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos, alternus oberres.
Nec tu, quum obstiteris semel instantique negaris
Parere imperio, *rupi iam vincula*, dicas ;
Nam et luctata canis nodum abripit ; ast tamen illi,
Quum fugit, a collo trahitur pars longa catenae. —
Dave, cito, hoc credas iubeo, finire dolores
Praeteritos meditor — crudum Chaerestratus unguem
Adrodens ait haec — an siccis dedecus obstem
Cognatis ? an rem patriam rumore sinistro
Limen ad obscenum frangam, dun Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto ? —
Euge, puer, sapias, dis depellentibus agnam
Percute. — Sed censen' plorabit, Dave, relicta ? —
Nugaris ; solea, puer, obiurgabere rubra.
Ne trepidare velis atque artos rodere casses !
Nunc ferus et violens ; at si vocet, *haud mora*, dicas. —
Quidnam igitur faciam ? nec nunc, quum accersar et ultro
Supplicet, accedam ? — Si totus et integer illinc
Exieras, nec nunc. — Hic, hic, quem quaerimus, hic est,
Non in festuca, lictor quam iactat ineptus.
Ius habet ille sui palpo, quem ducit hiantem

Creta ambitio? vigila et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes; quid pulchrius? At quum
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus recutitaque sabbata palles.
Tum nigri lemures ovoque pericula rupto,
Tum grandes galli et cum sistro lusca sacerdos
Incussere deos inflantes corpora, si non
Praedictum ter mane caput gustaveris alli.
Dixeris haec inter varicosos centuriones,
Continuo crassum ridet Pulfennius ingens,
Et centum Graecos curto centusse licetur.

SATIRA VI.

Admovit iam bruma foco te, Basse, Sabino?
Iamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordae?
Mire opifex numeris veterum primordia vocum
Atque marem strepitum fidis intendisse latinae,
Mox iuvenes agitare iocos et pollice honesto
Egregius lusisse senex. Mihi nunc Ligus ora
Intepet hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli et multa litus se valle receptat.
Lunai portum, est operae, cognoscite, cives!
Cor iubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Maeonides, Quintus pavone ex Pythagoreo.
Hic ego securus vulgi et quid praeparet auster
Infelix pecori, securus et angulus ille
Vicini nostro quia pinguior, etsi adeo omnes
Ditescant orti peioribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut coenare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
Discrepet his alius: geminos, horoscope, varo

Producis genio. Solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum irrorans patinae piper; hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. Utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenues sollers turdarum nosse salivas.
Messe tenus propria vive et granaria, fas est,
Emole; quid metuis? occa, et seges altera in herba est.
Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio; iacet ipse in litore et una
Ingentes de puppe dei, iamque obvia mergis
Costa ratis lacerae: nunc et de cespite vivo
Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Caerulea in tabula. — Sed coenam funeris heres
Negliget, iratus quod rem curtaveris; urnae
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiae, nescire paratus. —
Haec cinere ulterior metuas? — Et Bestius urget
Doctores Graios: *Ita fit, postquam sapere urbi*
Cum pipere et palmis venit, nostrum hoc maris expers;
Foenisecae crasso vitiarunt unguine pultes.
Tune bona incolumis minuas? — At tu, meus heres
Quisquis eris, paulum a turba seductior audi:
O bone, num ignoras? missa est a Caesare laurus
Insignem ob cladem Germanae pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis, ac iam postibus arma,
Iam chlamydes regum, iam lutea gausapa captis
Essedaque ingentesque locat Caesonia Rhenos.
Dis igitur genioque ducis centum paria ob res
Egregie gestas induco; quis vetat? aude.
Vae, nisi connives! oleum artocreasque popello
Largior; an prohibes? dic clare! *Non adeo*, inquis,
Exossatus ager iuxta est. Age, si mihi nulla
Iam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest, accedo Bovillas
Clivumque ad Virbi, praesto est mihi Manius heres. —

Progenies terrae? — Quaere ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud prompte, dicam tamen; adde etiam unum
Unum etiam: terrae est iam filius, et mihi ritu
Manius hic generis prope maior avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscas?
Sum tibi Mercurius; venio deus huc ego ut illo
Pingitur: an renuis? vin' tu gaudere relictis?
Deest aliquid summae: minui mihi sed tibi totum est,
Quidquid id est. Ubi sit, fuge quaerere, quod mihi quondam
Legarat Tadius, neu dicta repone paterna:
Fenoris accedat merces; hinc exime sumptus? —
Quid reliquum est? — Reliquum? nunc, nunc impensius unge,
Unge, puer, caules? mihi festa luce coquatur
Urtica et fissa fumosum sinciput aure,
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Quum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciae immeiat vulvae? mihi trama figurae
Sit reliqua, ast illi tremat omento popa venter?
Vende animam lucro, mercare atque excute sollers
Omne latus mundi, nec sit praestantior alter
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta;
Rem duplica. — Feci; iam triplex, iam mihi quarto,
Iam decies redit in rugam: depinge, ubi sistam, —
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

Lp 15.102.23
Utrum Aulus Persius Flaccus doctrin
Widener Library 004717463
3 2044 085 217 164